



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

CCXXIX. Mechthild Kakstedt, Stegemann's Wittwe, bittet den Bischof von Camin um die bischöfliche Bestätigung eines von ihrem Vater zu Prenzlau gestifteten geistlichen Lehens, am 23. August 1432.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

infigel versigelt vnd Geben zu Spandow, am Montag nach dem Sontag vocem jocunditatis, Anno domini M^o. CCCC^o. XXXII^o.

Nach dem Copialbuche des Markgrafen Johann, fol. 59.

CCXXIX. Mechtild Kafftedt, Stegemann's Wittwe, bittet den Bischof von Camin um die
bischöfliche Bestätigung eines von ihrem Vater zu Prenzlau gestifteten geistlichen Lehens,
am 23. August 1432.

In nomine Domini Amen. Ne rerum gestarum tollatur memoria Ideo scripture remedium sagaciter est inventum, vt quod alias esset labile, scripturis perhennetur. Hinc est quod coram vobis Reuerendo in Christo Patre et Domino, Domino sifrido, Ecclesie Caminenfis Episcopo aut vestro Vicario Ego Mechtildis, vidua relictæ petri stegemanni bone memorie, quondam ciuis in Premslow, nec non pueri mei legitimi, videlicet Johannes stegemann et Elyfabeth vxor legitima Johannis svalberch, municipis in eadem Premslow, tenore presencium publice profiteamur et protestamur, Quod quondam honestus vir Arnoldus Kakestede, opidanus eiusdem opidi premslow, dum in humanis ageret, In honorem omnipotentis Dei sueque genitricis interemerat semper virginis charie et omnium sanctorum propter anime sue, vxoris sue et omnium progenitorum carorum suorū remedium salutare, Duos mansos suos in campis veteris ciuitatis Premslaw, cum omnibus pertinenciis et proventibus seu pachtibus suis dedit, legauit et inter viuos donauit ad perpetuas elemofinas spirituales iugiter permanfuros et permanfuras, Jure ciuitatis semper saluo. Quarum quidem elemofinarum spiritualium primus possessor fuerat dominus arnoldus verwer Et secundus Dominus Michael blingow per dictum arnoldum Kakestede patrem meum presentati et auctoritate Episcopi instituti. Tercius uero Dominus Markwardus Wollenbruk per sororem meam relictam petri Sluther est institutus. Quartus autem Dominus Hinricus Hartwici per me et prefatos pueros meos vestre paternitati reuerende presentatus ac auctoritate vestra nouissime institutus et possessor legitimus existit. Verumquia pretacti mansi cum suis pertinenciis et prouentibus siue pachtibus per aliquem Dyocefanum ad elemofinas spirituales nondum sunt confirmati, Ideoque paternitatem vestram in Christo venerabilem humiliter imploro, Quatenus eosdem duos mansos cum omnibus suis attinenciis et proventibus dignemini in domino feliciter confirmare saluo iure ciuitatis, Jus patronatus seu presentandi michi et predictis pueris meis et eorum filiis et filiabus ab illis procreatis et procreandis referuantes, Ita quod dictis elemofinis vacantibus senior et antiquior et propinquior in huiusmodi progenie alium presbiterum aut clericum ydoneum propter Deum presentabit. Quibus omnibus per mortem de medio sublatis predictum ius presentandi ad Consules dicti oppidi Premslow perpetuis temporibus pertinebit, ita quod duo seniores siue proconsules de numero consulum actualiter existentes presbiterum uel Clericum ydoneum vt predictum est presentabunt. Datum Premslow, anno Domini Millesimo quadringentesimo XXXII^o, in vigilia sancti Bartholomei Apoptoli, prefati patris mei Arnoldi Kakestede, quo ad presens vtor, sub sigillo.

Aus Beckmann's Abschrift des Originals.